Linguae indoles singularis ex iis non solet perspici, quae cum aliis communia sunt, sed intelligitur optime ex proprietatibus et differentiis, in quibus, ut ita dicam, ingenium proprium positum est. Itaque merito grammatici talibus dictionis idiotismis animos advertunt studiumque suum in iis explicandis collocant. Duplex autem rerum grammaticarum investigatio esse solet; altera ex principiis quibusdam rationis legibus consentaneis petita, altera ex accurata usus observantia instituta; alteram philosopham, alteram historicam dicunt. Qui in alterutra versantur, facile in errores incidunt, aut vanis animi figmentis fidem habentes, aut sine consilio et ratione molem rudem pro vero naturae opere venditantes. Quare recte ii agere videntur, qui utraque methodo coniuncta fundamenta primum iaciunt, quibus demum superinstruant sua systemata. Sub hac lege de infinitivo historico scripturus sumsi mihi materiam, licet a pluribus iam viris doctis tractatam, denuo tractare, non inutile fore putans, quae ab illis disputata sunt, breviter recensere, meamque qualemcunque de hoc linguae latinae idiotismo sententiam adiicere, addita quantum fieri potest copiosa locorum huc spectantium collectione ex auctoribus omnium temporum omnisque generis desumtorum. Ne tamen fines scholasticae dissertationis transgrediar, in hac priori parte solummodo de vi et significatione infinitivi historici scripturus sum, alii loco et tempori usus eius apud scriptores latinos expositionem relinquens.

Iam primum omnium dicendum erit, quid sit infinitivus historicus. Infinitivus historicus, qualis plerumque in stilo historico obvius fit, est infinitivus imperfectae actionis et activi et passivi verbi pro verbo finito aut subiecto omisso aut addito in casu recto positus. Qui infinitivi usus Latinis solummodo proprius, neque simile quiddam apud Graecos recentioresque populos invenitur.

Veteres fere ad unum omnes talem infinitivum per figuram ἐκλείψεως explicant, quos sequuntur grammatici recentiores superiorum seculorum; contra ii, qui de rebus grammaticis nostris temporibus scripserunt, hanc infinitivi vim peculiarem ex ipsius infiniti modi natura explicare conantur. Quint. Inst. VIII, 6, 21., ubi de συνεκδοχῇ loquitur, haec habet: „Quidam συνεκδοχήν vocant, quum et id in contextu sermonis, quod tacetur, accipimus. Verbum enim ex verbo intelligitur, quod inter vitia ἔκλειψις vocatur (Virg. Aen. XI., 142):

Arcades ad portas ruere — — —

Mihi hanc figuram esse magis placet;“ et IX, 3, 58: „At quae per detractionem fiunt figurae, brevitatis novitatisque maxime gratia petuntur, quarum una est ea, quam libro proximo

in figuras distuli, συνεκδοχή, quum subtractum verbum aliquod satis ex ceteris intelligitur, ut Coelius in Antonium: Stupere gaudio Graecus. Simul enim auditur coepit." Priscian. XVIII, 4, 48. Vol. II. p. 125. ed. Krehl: „Itaque apud Graecos infinitivus quidem pro imperativo ponitur, apud nos autem pro praeterito imperfecto. Et apud illos tamen, et apud nos hoc fit per figuram ἐκλείψεως, id est defectionis. Gaudere enim dicunt pro gaude, et subauditur iubeo, vel volo, vel opto. Sic ergo et apud nos quum imperfectum sit, dicere coepi pro dicebam, scribere coepi pro scribebam, per ellipsin verbi coepi solent auctores proferre verba infinita, ut Terentius in Andr. I. 1, 119. 120.

Ego illud sedulo negare factum.

Deest enim coepi; negare pro negabam. Nec mirum infinita, quae cognationem habent ad omnes modos, pro quibusdam eorum poni, et maxime pro defectivis, quum sint et ipsa defectiva. Imperativus enim deficit tam personis quibusdam quam temporibus, et praeteritum imperfectum actu ipso deficit, quippe semiplenum eum significans, et infinita deficiunt numeris et personis, quum etiam alios modos pro aliis inveniamus ab auctoribus proferri." — Donat. ad Terent. Hecyr. I, 2, 91: — — — — — — — iniurias

Viri omnes ferre, et tegere contumelias.

„Figura ἔκλειψις est." — Serv. ad Virg. Aen. X, 458:

Ire prior Pallas,

„Subaudis voluit ire; alii ire pro it legunt, ut fit infinitivus pro indicativo."

Figuram, quam vocant ellipsin mirum habuisse fatum notum est; nam quo magis eam veteres grammatici foverunt et tuiti sunt, eo acriores ei recentissimi grammatici exstiterunt adversarii, ut timendum sit, ne turbae exoletorum magistrorum adnumeretur, qui audeat veterum opinionem ne dicam defendere, sed in quaestionem vocare. Quod tamen nos non impediat, quominus accuratius perquiramus, quid grammaticos veteres, quibus latina lingua vernacula erat,*) impulerit hic ellipsin statuere, et quid nos movere possit, eorum sententiam, aut probare, aut improbare.

Iam ellipsis ea est figura, qua, ut recte dicit Quintilianus l. c., in contextu sermonis quod tacetur accipiendum est; nam nimis arctis finibus inclusa est ellipseos definitio, quam Hermannus ad Viger. p. 869 praebet: „Est ellipsis omissio vocabuli, quod etsi non dictum tamen cogitatur." Tacetur vero, quod per se intelligitur, quia aut legibus rationis nostrae, aut usu notum est. Exemplis rem illustrabo. Notiones quaedam communes, quae innatae nobis quodammodo formae sunt, quibus singula complectimur, sine damno omittuntur

*) Bonnel. in Censura Prahmii: Ueber den historischen Infinitiv. Unberücksichtigt darf nicht bleiben, daß nicht nur den alten und neuern Grammatikern, sondern auch den römischen Sprachforschern selbst, und von diesen nicht nur dem Priscian, sondern auch dem feinsten Kenner seiner Sprache, Quintilian nur jenes (die Ellipse) als die richtige Erklärung erscheint. — Es fühlten beim Inf. hist. den Begriff des coepit, oder einen verwandten, parat, pergit, nicht nur die Römer, sondern auch die Griechen heraus, indem z. B. der Metaphrast ad Caes. B. G. VII, 81. deturbare übersetzt: καταβάλλειν ἤρξαντο.

saepe, quia sponte se offerunt auditoris menti, e. g. quum dicimus: omnes homines mortales, facile supplemus verbum sunt, nam aliter e legibus rationis notio mortales cum hominibus iungi non potest. cf. Herm. ad Viger. p. 871. Alterum genus ex usu ortum est, ut quum dicimus Σωκράτης ὁ Σοφρονίσκου sc. υἱός, sive εἰς Ἅιδου sc. δόμον, sive iubeo Chremetem, sc. valere, et gaudere Hegionem sc. iubeo, et si quae sunt huiusmodi alia; nam auditor nesciret, quid supplendum esset, nisi usus eum docuisset.*)

De hoc ellipseos genere nulla disceptatio esse solet; de illo vero multum venit in deliberationem. Illae notiones communes sive formae, aut omnino carent verbo expresso, ut Latinis deest articulus, aliis linguis particulae quaedam, aut terminationibus continentur, i. e. declinatione, comparatione et coniugatione exprimuntur; solent tamen etiam quaedam vocabula esse, quibus hae formae disertius notantur, ut si dicimus: sapiens est beatus, sive sapiens homo est beatus, et τὸ εἶδος θεῷ ἴσος sive κατὰ τὸ εἶδος, ubi adiectivo sapiens iam substantiae notio inest, cf. Herm. ad Viger. p. 871. et solo accusativo τὸ εἶδος iam exprimitur, quod disertius praepositione κατά significari potest. cf. Herm. ad Viger. p. 877. Recte tales similesque locutiones ellipses nullas esse viri docti, quid natura linguarum postulet, melius intelligentes probaverunt. Quis tamen neget, ellipsin esse, ubi neque diserta voce, neque terminatione tales formae exprimantur? Iam quum sit infinitivi natura, ut neque personam, neque tempus, neque modum significet, necesse est, ubi locum habet verbi finiti, aliunde possit intelligi et persona et tempus et modus; quod sane in constructione, quam dicunt accusativum cum infinitivo tum e subiecto, tum e regimine verbali patere solet. At ubi infinitivus absolute usurpatur, e subiecto quidem ipsi addito persona potest intelligi, minime vero tempus et modus, ut si dico: Graecus stupere gaudio, stupere nil nisi tertiam personam singularis numeri gener. masc. exprimere potest, sed dubium est, num stupet an stupebat, stupeat an stuperet significet; quod hic tacetur, ab auditore accipiendum est; vera igitur ellipsis est; notio enim quaedam communis sive forma addenda est, quae infinitivo ipsi non inest. Iam veteres vocem quaerentes, quam supplerent, non aliam invenerunt, quam coepisse, quae, ut apparet, non ubique locum habet, quum omnino Latini verbo formali, quo vis finiti verbi exprimatur, careant, neque possint ita modum et tempus periphrasi reddere, ut apud nos vulgus saepe perperam voce thun, e. g. ich thun schreiben, nos etiam coniunctivum modum verbis mögen, dürfen, können, wollen. Non errant igitur veteres grammatici infinitivum historicum ἐλλειπτικῶς usurpatum contendentes, parum apte tamen supplent verbum coepisse vel simile quoddam, quo notio formalis non modo non suppletur, sed ne vix quidem surrogatur; nam verum supplementum terminatio formalis est, quae menti etiam auditoris praesto est necessarie; ut si dicunt: Graecus stupere gaudio; dictum velint: Graecus stupet sive stupebat. Non ineptum fortasse erit talem ellipsin formalem denominare, quae differt a verbali eo, quod non totum vocabulum, sed terminatio tantummodo formalis abest.

Talibus formarum omissionibus scatere solet infantium sermo, qui nil nisi rudem materiam eorum, quae exprimere volunt, reddere possunt; itaque fere solo infinitivo utuntur,

*) Differt ab hac ellipsi aposiopesis, quod in ea, quod deest non ex usu, sed e coniectura supplemus; aposiopesis saepius obvia in ellipsin vertitur. cf. Herm. ad Viger. p. 870.

ubi subiecto praedicatum addunt, e. g. Vogel fliegen, Vater geben, pro: der Vogel fliegt, Vater, gieb, ubi quisque videt, infinitivo ipsi non inesse vim omnium modorum, sed eum esse nudum argumentum cogitati, cui ab auditore notiones formales, quibus praedicatum, ut aiunt, cum subiecto concrescit, adiiciendae sint. Hic infinitivus vehementer differt ab infinitivo in enunciatione e grammaticis regulis constructa obvia, quum nil nisi notionem nudam exprimat; nam terminationi infinitivi germanicae en non alia vis est, quam phonetica, qua ex sensu quodam nobis innato trunci informes hab, flieg, geb, in vocis formam rediguntur, in vero tamen infinitivo terminatio en notas illas formales significationes, quibus infinitivus ceteris verbi modis differt, praebet. Talis quasi-infinitivus (sit venia verbo) optime comparatur cum vocativo, quem aiunt casu substantivorum. Nam etiam vocativus destitutus formalibus notionibus enunciationem involvit, quum ergo nudam substantivi materiam praebeat, verus vocativus est vocis stirps, e. g. stell, mund, πολ, sed tales verborum foetus natura fugit; itaque aut levi terminatione phonetica a, e, i, in formam vocis mutat: stella, munde, πόλι, aut nominativus, qui est absolutus casus, vocativi vicem habet. Huc etiam interiectiones referendae sunt, quae ne phoneticam illam quidem terminationem habent.

Ostendit hoc mancum dicendi genus interdum emphaticus sermo, ut Graeci infinitivo utuntur pro imperativo, Germani pro eodem etiam participio praeteriti passivi; iidem etiam infinitivo pro coniunctivo periphrastico in interrogationibus et exclamationibus e. g. was thun? spricht Zeus; pro: was soll ich thun? Ich dich ehren! pro: ich sollte dich ehren!

Falluntur tamen, qui talem dictionem imitationem puerilis sermonis habent; nam puerile omnino esset, eos, qui recte loqui sciant, pueros balbutientes imitari. Sed ut infantes sensu potius quam ratione ad loquendum trahuntur, ita nobis etiam adultis interdum accidit, ut animi quodam impetu ad verba facienda incitemur, neque possumus, quin simili modo, quae sentimus, exprimamus, unde interiectiones, vocativi, infinitivi et participia pro verbo finito posita et si quae similia explicanda erant; nam quum e sensu non e ratione fluant, neque logicis, neque grammaticis regulis obnoxia sunt, quibus parent solum ea, quae ratione percipimus. Utimur igitur promiscue duplici, ut ita dicam, sermone, altero pathetico, altero ethico, sive mavis altero sermone sensibus, altero rationi adaptato. Infinitivus historicus priori generi adnumerandus est, quem si in alterum genus immutaveris, ut si dicas, pro Graecus stupere gaudio, Graecus stupebat, non argumentum aliud, sed tenor alius erit.*)

Iam his praemissis melius diiudicare possumus, quid de veterum grammaticorum opinione sentiendum sit, quos dicemus verum sensisse potius quam intellexisse. Ab his fere pendent recentiores grammatici superiorum seculorum: Sanet. Min. tom. II. p. 211 sq. „Infiniti-

*) Bonnel in Censura Prahmii libelli: Das ist der Grund einer jeden Ellipse, daß dem Sprecherden sein eigener Affect nicht erlaubt, den Satz in seiner vollständigen, grammatischen Form und Rundung zu konstruiren, sondern nur die sein Gefühl andeutenden Hauptbegriffe auszusprechen, so daß sie eigentlich zwischen Interjection und einem vollständigen Satze in der Mitte liegt. Eine jede Ellipse bedarf zu ihrer Erklärung Ergänzungen, die ihren Eindruck zwar schwächen, aber doch darum keine Thorheiten sind, und die alten Grammatiker, indem sie coepit beim infinitivus historicus ergänzten, erkannten dessen Ursprung und Bedeutung besser, als der Herr Verfasser, der darin keine Ahnung seiner natürlichen Farbe findet.

vum, dicunt, accipi pro imperfecto praeterito, ut, populus ea mirari, pro, mirabatur; sed deest coepit, vel simile aliquid, *) ut recte docet Quint. libr. IX. 9."

Gernh. Voss. Arist. VII, 19:

„Ad ellipsin verbi finiti etiam pertinent, ubi verbum infinitivum poni aiunt pro imperfecto finito, ut Aen. (V. 685.): Tum pius Aeneas humeris abscindere vestem. Ubi abscindere per enallagen dixisse censent, pro abscindebat. Sed nulla hic enallage verum ellipsis verbi finiti. Nam abscindere ponitur, pro coepit abscindere. Par ratio similium. Ut illo Terentii Andr. I., 1., 35.:

— Facile omnes perferre ac pati,
Cum quibus erat cunque una.

Quod exponunt, perferebat, ac patiebatur. Sed multo malumus statuere ἔκλειψιν, verbi coepit, prout Quintil. lib. IX. cap. 3. et Priscian. XVIII. (4, p. 125 ed. Krehl.)"

Ruddim. II. p. 7.: „Nonnunquam nominativus infinitivo praeponitur, subaudito coepit, vel coeperunt, ut Terent. Eun. III. 1, 20:

— — — Invidere omnes mihi
Mordere clanculum: ego non flocci pendere.

Vulgo in his infinitivus pro imperfecto indicativi poni existimatur, abscindere scil. pro abscindebat, invidere pro invidebant etc." Cf. quae Stallbaumius ad h. l. et in annotatione ad p. 225. dicit.

Recentissimi grammatici ellipseos horrore repleti multas ambages faciunt, quibus hoc spectrum effugiant, sed inviti saepe incidunt in eius vestigia. Sic verbi causa Prahm: Versuch über das Wesen des hist. Infinitiv in der Lat. Sprache p. 19 sq. ita scribit: „Ist der historische Infinitiv Ellipse? ist er Enallage oder Antimerie? ist Nachlässigkeit, ist Unkunde der ersten Lateinschreiber die Ursache dieses Gebrauches? Oder hat er doch vielleicht einen tiefern Sinn? — Gewiß das Letztere." Quasi altiore sensu careret infinitivus ἐλλειπτικῶς usurpatus! Et p. 28.: „Der Infinitivus als Verbalmodus, welchem nach Ablegung aller Accidenzen oder zufälligen Eigenschaften des Verbs nur das einzige wesentliche Merkmal seiner Wortklasse geblieben ist, das der Beilegung des Prädikats durch die Form, prädizirt ganz allgemein vom Subject, nehmlich eben nur den realen Inhalt des Verbs, abgesehen von allen unwesentlichen und nur von der Accommodation an das Subject herrührenden Bestimmungen;" nihil aliud dicit, quam verbum infinitum poni omissis accidentibus, quae insunt verbo finito et e subiecto convenienter dependent. Quum parum referat, num talia accidentia vocibus an terminationibus formalibus suppleantur, patet ex Prahmii quo-

*) Non sine causa hoc addit auctor, quia multa reperiuntur loca, in quibus τὸ coepit commode satis adiicere aut intelligere nequeas. Sall. Iug. 50, 6; 58, 3; 92, 9; Ubi diversa videntur verba intelligi, in prioribus et negativis poterant, in posterioribus coepit. Cap. 97, 5; 98, 2. Crediderim, frequentatam primo hanc ellipsin τοῦ coepit, atque ita infinitum pro imperfecto indicativi in narrando adhiberi coeptum, et adhibitum deinceps etiam, ubi τὸ coepit intelligi non posset, atque adeo directe tunc pro imperfecto illo, nulla ellipseos alicuius habita ratione. Unde et promiscue modo infinitum, modo imperfectum in eadem periodo occurrit. Sall. Cat. 48, 1. Not. edit.

que sententia infinitivum historicum ἐλλειπτικῶς positum esse, nam ubi omissio, ibi ἔκλειψις. Vide etiam, quam lepide sententiam suam argumentis probet. Anomalia infinitivi historici ea est, quod infinitivus, cui praedicandi vis procul est, praedicati locum habet; ergo demonstrandum erat, infinitivo etiam hanc vim esse; iam noster, quod demonstraturus est, in argumentatione tamquam demonstratum proponit, dicens: Der Infinitivus als Verbalmodus prädizirt ganz allgemein vom Subject, et inde concludit, recte ergo infinitivum de subiecto praedicare.*) Tantum enim abest, ut infinitivo vis praedicandi sit, ut ob id ipsum, quod vi praedicandi caret, infinitivus sit. Nam ut casus obliqui substantivum subiectum esse negant, ita modus obliquus sive infinitivus significat, se praedicatum non esse. In accusativo cum infinitivo infinitivus quidem praedicatum est, sed simili obliquo modo ut e. g. in enunciatione: facta Alexandri celebrantur, genitivus obliquo modo subiectum est, quia voces facta Alexandri involvunt enunciationem: quae fecit Alexander.

Ergo quum infinitivi non sit, de subiecto praedicare, multi grammatici ita infinitivum historicum explicant, ut dicant, poni eum pro substantivo, quod sine copula subiecto attribuatur. Krüger, Lateinische Grammatik Th. 2. §. 447. Anm. 1: „Der Gebrauch des Infinitiv anstatt des Verbum finitum, welches sonst zur Aussage gebraucht wird, ist sehr ähnlich dem Gebrauche eines bloßen Nomen (Substantivum oder Adjectivum) als Prädikates mit Auslassung der sogenannten Copula, wie: Summum ius, summa iniuria; quot homines, tot sententiae; multi hostium capti und dergl., oder der Hinstellung eines bloßen Subjectsbegriffes mit Auslassung des erforderlichen Prädikats, wo derselbe also die Stelle eines ganzen Satzes vertritt. Auch findet sich eben mit der Schilderung im infinitivus historicus diese Construction verbunden, wie Sall. Iug. 51: Ceterum facies totius negotii varia, incerta, foeda atque miserabilis; dispersi a suis pars cedere, alii insequi; neque signa neque ordines observare; ubi quemque periculum ceperat, ibi resistere ac propulsare; arma, tela, equi, viri, hostes, cives permixti; nihil consilio neque imperio agi; fors omnia regere. Tac. H. 4, 29: Tum vero strepitus dissoni, casus incerti, neque feriendi neque declinandi providentia. Unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus; nihil prodesse virtus cet.“

Censor Grammatic. lat. ed. Weissenborn. Zeitschr. für Alterth. Heft II. p. 1023: „In den Sätzen, in welchen der infinitivus historicus vorkommt, werden Nomen und Verbum bloß neben einander gestellt, ohne Bindungsmittel; die Phantasie aber faßt beide als eng verbunden zusammen; wodurch diese Art der Satzbildung lebendiger ist.“ — Billroth Latein. Schulgr. §. 258: „Der Infinitivus hat keine satzbildende Kraft, weil in ihm die Copula, die das Prädikat auf ein bestimmtes Subject bezieht, nicht enthalten ist. Wie aber zuweilen die Copula, wo sie sich von selbst versteht, weggelassen wird (summum ius, summa iniuria), so tritt häufig der Verbalbegriff, der zu einem Subject das

*) cf. Harris. Hermes ed. Ewerbeck p. 133: „In allen Modis und den dazu gehörigen Temporibus wird das Verbum als Bezeichnung eines Attributs angesehen, und es bezieht sich immer auf eine Person oder Substanz; — aber zuweilen erscheinen die Verba in einem Modus oder einer Form, in der sie nicht die geringste Beziehung auf Personen oder Substanzen haben; daher haben die lateinischen und neuern Grammatiker die Verba in diesem Modus, wegen ihrer unbestimmten Natur, Infinitiven genannt.

Prädikat hergeben soll, zum Subjecte nicht in derjenigen Form, die zugleich die Copula enthält, d. h. als Verbum finitum, sondern in einer Form, die derselben entbehrt, im Infinitiv."

Quodsi verum sit, infinitivum substantivi officio fungi, necesse est concedant, copulam abesse. Tum vix effugient ellipsin. Sed ne abest quidem copula, nam si amo perinde est, atque amans sum, amare pro amantem esse dictum putandum est, quod vel ex ipsa forma probare conatur Bopp: Conjugationssystem der Sanskritsprache, dicens litteram r in infinitivo obviam e littera s ortam: ex ama-esse, amase, amare; luculentius etiam in infinitivo perfecti: amav-esse, amavisse, amasse. Neque in infinitivis periphrasticis illud esse desideratur: amaturum esse, amatum esse.*) De infinitivo historico probant evidentius loci, ubi pro infinitivo verbi copula ipsa cum adiectivo posita invenitur, e. g. Sall. Iug. 6: carus esse; ib. 55. praeclara esse; ib. 114. omnia-prona esse; Tac. Agr. 19. contentus esse. Falluntur igitur, ubi infinitivi historici usum comparant cum praedicato sine copula subiecto addito; recte tamen senserunt, aliquid desiderari, quod quid sit, supra docuimus. Ostendimus enim nihil aliud abesse, quam formalem terminationem, qua infinitivus in verbum finitum vertatur.

Tertia cohors grammaticorum multum declamat de vi et praestantia infinitivi historici, sed aut rationem nullam reddunt, cur ei potissimum haec sit virtus, aut infinitivo adscribunt, quod melius ellipticae structurae infinitivi tribuere debebant; immo saepe etiam inviti et nescii tribuerunt. A. Mohr: Ueber den historischen Infinitiv der Latein. Sprache p. 28: „Die unverkennbare und nur dem Harthörigen und Gefühllosen unverständliche Absicht ist die, daß die definitive Form des Verbi den Moment bezeichne, mit dem Infinitiv dagegen die Vorstellung der Dauer, des Währens, des Unbedingten**) verknüpft sei, um durch die Angabe mehrerer Merkmale eines Gleichzeitigen und durch die allgemeine Aussage einzelner größerer Aufmerksamkeit würdigerer Züge die Phantasie zur selbstthätigen Schöpfung eines Bildes aus der Vergangenheit anzuregen."

Fere idem sentit H. L. O. Müller: de usu atque natura infinitivi historici apud Latinos in Programmate Cellensi anni 1833 p. 21: „Animus scriptoris ubi rerum praeteritarum speciem denuo in animum induxit, in media rerum turba ita movetur et afficitur, ut ea tantum, quae aguntur, et eum, qui agit, attendere et cognoscere possit. Quae in oculos incurrunt et prae ceteris magnitudine sua et gravitate sensus alliciunt, haec praecipue curat, reliquas res, quae actionem primariam quasi circumsistunt, qualia sunt temporis et loci, causae et effectus momenta, prorsus negligens."

Mühlich Lateinische Grammatik Tom. II. p. 422: „Dieser Infinitiv (sc. historicus) ist die Natursprache, indem der Mensch in heftiger, anhaltender Leidenschaft, z. B. aus Verlegenheit, Unruhe, Bestürzung, Begierde, Verwunderung, Freude, Erbitterung, Aerger, Wuth u. dgl. sich nicht vollständig aussprechen kann und mag." — Friedr. Otto Latein. Grammatik §. 195: „Anstatt, daß das Prädikatsverbum immer ein tempus finitum sein sollte, kann man auch den Infinitivus setzen, wenn man etwas vergangenes als dauernd oder sich wiederholend lebhaft schildern will, wo man sich des Im-

*) Cf. M. Schmidt: Ueber den Infinitiv p. 33

**) Etiam imperfectum actionem durantem significat.

perfectum bedienen würde. — Die Ursache des Gebrauchs des infinitivus historicus ist die, daß, wenn man lebhaft von einer Sache ergriffen ist, und dieselbe erzählen will, man die Form gar nicht berücksichtigt, was schon ein langsames Denken verräth, sondern zufrieden ist, den Gedanken durch das Wort ohne Form zu bezeichnen, wozu der inf. hist. sich am mehrsten eignet."

Sunt porro, qui infinitivi historici usum ex archaismo explicent; Müller l. c. p. 16.: „Maiorem veritatis speciem ea sententia prae se ferre videtur, qua infinitivi historici natura ex archaismo repetenda est, qui in carminibus primum et historiis, utpote antiquissimo scripturae genere, postea vero in narrationibus omnis generis per consuetudinis abusum ius civitatis in lingua sortitus sit." *)

Schadeloock: Von den Zeiten der Zeitwörter p. 101: „Endlich werden die Hauptgeschichtsumstände auch im Infinitiv erzählt. Dieser ist zwar allerdings hier eine Unvollkommenheit des Ausdruckes, und ist sonst Charakter einer Sprache, die noch in ihrer Kindheit ist." Mohr l. c. pag. 19: „Daß er (der histor. Infinitiv) in den Sprachanfängen die Stelle der definitiven Verbalform vertreten habe, aus der er durch die Ausbildung der Grammatiker allmählich verdrängt wurde, darüber kann uns unsere Muttersprache Belege geben, die sich für die erste und dritte Person des Plurals noch immer des Infinitivs bedienen muß; **) et censor eius in Ephemer. Lips: „Die Bezeichnung der bloßen Handlung in der ursprünglichen Einfalt und Unform (Urform?) wird auch den spätern an Formen überreichen Erzählern genügen und als Alterthum theuer sein, wenn sie nichts als Momente, neben einander stehende Ereignisse, ohne genaue Bestimmung hinstellen wollen. ***) M. Schmidt: Ueber den Infinitiv p. 64: „Die ganze Construction (des Infinitivi historici) ist ein Ueberrest alter einfacher Redeweise, deren sich die Römer in Beschreibungen und Erzählungen bedienten." Wagner in Excurs. XXX. ad Virg. Vol. IV.: „Antiquissimis temporibus verbo nondum per tempora modosque digesto, solo utebantur infinitivo, quae ratio loquendi, ut est balbutientis infantiae, ita hodieque invenitur apud populos quosdam rudes et barbaros, retenta interdum illa quidem a cultioribus populis, nec in concitatiore solum, sed etiam in sedata oratione."

Fingunt enim, infinitivum historicum ortum debere puerili dicendi modo, sermonemque vetustissimorum hominum vix ab infantium locutione discrepasse; sed quum paulatim lingua exculta esset, vestigia illius rudis loquelae mansisse tamen et manere etiam. Sed quam parum perspectum habeant ortum linguarum, qui talia pro veris venditent, omnium linguarum natura et historia docet. Sermo enim adultorum non ex infantium sermone oritur, sed vice versa, quod quemlibet pueruli matrum et nutricum verba balbo ore imitantes facile docebunt; neque unquam probari potest, antiquissimis temporibus secus factum esse, ut infantes loqui docuerint adultos. Humanus enim sermo adultae rationis fructus est maturus, non puerilis conatus opus crudum, quod adulti demum excoluerint. Nunquam enim infantes loqui sciunt e coniunctione et societate adultorum remoti, ut satis probant multi, qui a pueris auditu

*) Cf. Schelleri praecepta I, 336 et Heineccii fund. stili I., 2, 57.

**) Recte has nugas refutavit Prahm: l. c. p. 29.

***) Cf. quae de his et imitatione Hebraicae linguae recte disputavit contra Mohrium Müller l. c. p. 16 seq.

carent, et ii, qui casu quodam in silvas et desertos locos ex hominum conspectu inter bestias exsulabant. Itaque tantum abest, ut antiquissimae linguae et recentiorum linguarum origines ex infantium balbutientium more formis et terminationibus egeant, ut vel luxuria quadam harum rerum insignes sint. Populorum rudium et barbarorum linguae, quas testes provocat Wagnerus, l. c., quum aeque eas nesciat ac nos, nihil probare queunt; possunt enim eaedem formae varios modos significare, quum non solum litteris, sed sono quoque, accentu, quantitate, loco, similia discernantur, ut e. g. apud Graecos ποιῆσαι, ποίησαι, ποιήσαι; infinitivus illorum barbarorum fortasse alio accentu sive alia quantitate finitum verbum exprimit. Alia certe docent linguae omnes, quarum cognitionem habemus. Sic, ut exemplo utar, apud Graecos Homericus sermo ubertate formarum longe superat seriorum Graecorum dialectos, quae tamen maiore formarum copia gaudent, quam sermo Graecorum nostri temporis. Quod in Latina lingua etiam facile est animadversu; multas enim formas, quas antiquior sermo praebet, posteritas respuit, et eae linguae, quae ex latina ortae sunt, terminationes casuum, graduum, multorumque temporum plane removerunt. Etiam nostram vernaculam linguam constat formarum luxuriam per multorum seculorum seriem deputasse, et in diem magis etiam supprimere. Quae quum ita sint, nullo modo fieri potuit, ut antiquissimus cuiuscunque populi sermo ob formarum penuriam infinitivum pro modo finito adhiberet, neque potest infinitivi historici usus ex archaismo explicari. Negare quidem nolo, iam apud antiquissimos Romanos infinitivum historicum in usu fuisse, ut certe Plauti exempla probant, inde tamen non sequitur archaismum esse hoc dicendi genus; nam archaismus est, non quod vetus, sed quod inveteratum. Scriptores serioris temporis archaismis prudentes scientesque solent uti, ut sermonem suum colore quodam et robigine vetustatis tingant, non inviti ex necessitate quadam animi commoti, aut e brevitatis studio, quod, ut supra annui et paulo post fusius explicaturus sum, infinitivi historici munus est. Neque inde potest colligi, infinitivum historicum archaismum esse, quod Sallustius et Tacitus archaismorum sectatores, saepissime eo usi sint; nam Cicero, etiam Caesar, Livius, ceterique omnes purissimi scriptores eum, quamvis rarius, adhibuerunt. *)

Sunt denique grammatici, qui infinitivum historicum ad figuras, quas dicunt enallagen et antimeriam referunt, ut Cortius ad Sallust. Cat. 6: qui ibi bello tentare pro tentabant scriptum esse autumat per frequentissimam historicis enallagen, qui quasi festinantes verbum infinitum arripiant loco pronuntiativi. Zumptius Gramm: p. 434: „Der Infinitiv Präsens steht in der historischen Schilderung für das Präsens oder Imperfectum Indic." — Grotefend Gramm. I, 274: „Antimeria, wenn ein Redetheil mit dem andern vertauscht wird, z. B. ein Substantiv mit dem Adjectiv. — Hierher gehört auch der infinitivus narratorius, welcher als eine Vertauschung des persönlichen Verbums mit der Substantivform desselben betrachtet werden kann."

Sane perversa et absurda opinio est, figuras inventas esse a poetis et oratoribus, ut ornatum quendam sermoni parerent; nam non consilium et arbitrium, sed necessitas quaedam figuras plerumque procreavit.

---

*) Cf. Müller l. c. p. 18: Infinitivis historicis tantopere delectari Sallustium et Tacitum brevitatis studiosissimos, insolentia saepe et haud usitata captantes, quique antiquitatis colorem quam maxime quaesiveriat, ut verum esse concedatur, ad rem tamen nihil probat. Prahm. l. c. 29. sq.

Itaque nonnisi insipidis grammaticis accidere potuit, ut enallagen et antimeriam permutationem verborum, casuum vel modorum haberent, ita ut parum referret, utrum poneretur. Sed neutiquam hoc volunt prudentiores grammatici, qui bene sciunt, idem argumentum vario modo expressum et veluti ante oculos positum, non sensum, sed habitum et colorem alium prodere, quibus figura nil nisi nomen est, quo denotent, dicendi genus a vulgari modo recedere. Nolimus igitur tam morosi esse, ut hoc rerum grammaticarum peritissimis viris, quales sunt Zumptius et Grotefendius, vitio vertamus, qui hac figura istam anomaliam non explicare, sed denominare voluerunt.*)

Et recte quidem ex nostra sententia enallagen dices infinitivum historicum, quia omnino si hoc dicendi genus, quod regulis grammaticis repugnat, in vulgarem modum transformare velis, dicendum erit, infinitivum pro verbo finito positum esse, sive hoc est imperfectum sive aliud quoddam tempus, quod iam Priscianus XVIII, 4. p. 125 ed. Krehl. praeter quod ex sua quidem opinione verbum coepisse omissum censet, recte ita explicat, ut ostendat, qui fieri potuerit, ut ellipsis in enallagen abiret: „Sic ergo et apud nos cum imperfectum sit, dicere coepi pro dicebam, scribere coepi pro scribebam per ellipsin verbi coepi solent auctores proferre verba infinita.“

Iam vis et virtus infinitivi historici, quam, ut modo vidimus, varie explicant grammatici, posita est in sola ellipseos natura. Ellipsis enim est omissio eorum, quae quum per se intelligantur, tanquam superflua auditori supplenda permittuntur. Qua re brevitas quaedam in dicendo efficitur. Breves vero sumus aut sponte aut inviti. Sponte breves esse solemus, ubi visa vel audita festinanter ita nobis notamus, ut teneamus solummodo rerum argumenta, ceteris neglectis, quae deinde cum otio possint addi, ut fere pictores σκιαγραφίαν vel adumbrationem sibi fingunt personae vel regionis, quam subito depingere coguntur, ut domi demum accuratius eam circumscribant. Iam e linguarum indole varia vario modo talis adumbratio instituetur. Germani, quorum lingua ad substantiva verbalia formanda inprimis idonea est, substantivis delineabunt ea, quae Latini, quorum sermo substantivis verbalibus minus favet, verbis expriment, tamen ut interdum etiam, ubi locus erit, Latini substantivis, Germani verbis iisque plerumque in participio utantur. Fingamus nos interesse urbis expugnationi, et ea, quae accidere solent in tali re, nobis notare: Germani ita fere delineabunt argumenta: Anrücken des feindlichen Heeres, Einschließung der Stadt, Aufforderung zur Uebergabe, Verweigerung, Rüstung zum Sturme, Ermahnung des Feldherrn an die Soldaten, Ersteigung der Mauer, Kampf ꝛc., quae ut in grammaticas enuntiationes vertas, cave suppleas verbum aliquod, ut verbi causa: es geschieht ein Anrücken des feindlichen Heeres, die Einschließung der Stadt ꝛc.; sed potius ita, ut substantiva in verba transformes: das feindliche Heer rückt, sive rückt an, die Stadt wird eingeschlossen und zur

*) Cf. Prahm. l. c. pag. 20: „Nicht besser steht es um die Annahme der Enallage, obgleich noch Zumpt sagt: daß der Inf. Präs. in der historischen Schilderung für das Präsens oder Imperfektum Indikativ steht. Warum sollten denn die Römer den Infinitivus für Präs. und Imperf. gesetzt haben, wenn sie durch denselben gar nichts anderes hätten andeuten wollen, als was jene Formen gut genug bezeichneten?“ — At cf. quae de hoc loco censor Prahmii libelli dicit: Allgemeine Schulzeitung 1828: „Wenn einige Grammatiker, z. B. Zumpt, nach einer sehr richtigen und von unserem Verfasser anerkannten Erklärung des Inf. dennoch sagt, der inf. hist. stehe für das Präs. oder Imperf. Indic., so ist dies keine eigentliche Annahme einer Enallage, sondern es wird nichts anders gesagt, als daß der schildernde Inf. reducirt auf die gewöhnliche erzählende Darstellung dem Gebrauche jener Tempora entspricht, gleichwie der Inf. Präs. erklärt wird als Inf. Praes. et Imperf.“

Uebergabe aufgefordert, man verweigert sie ꝛc. Latini: hostes procedere, claudere urbem, reposcere deditionem, cives negare, dux parare impetum, hortari suos, milites escendere muros, pugnare etc. En habes enuntiationum materiam forma neglecta, quam si velis restaurare, perperam quidem supplebis: hostes coeperunt procedere etc. cives coeperunt negare, dux coepit parare impetum etc. milites coeperunt muros escendere, pugnare; sed potius verba infinita in finita mutabis: hostes procedunt sive procedebant, claudunt urbem, exposcunt deditionem, cives negant, dux impetum parat etc. Latini etiam quamvis rarius et parcius substantivis adumbrant, ut Hor. Sat. I, 9. 77: clamor utrinque, undique concursus, quod non ita dissolvas, ut dicas: fit clamor, concursus, sed potius: clamatur utrinque, undique concurritur. Saepe etiam promiscue utuntur verbis et substantivis, quae si verbalia sunt, in verba mutes, ut in loco modo ex Horatio citato, sin alia cum adiectivis coniuncta suppleas copulam esse. Fere idem sentire videtur Krüger Latein. Gramm. §. 447. Not. I., et Reisig Vorlesungen §. 445: „Charakteristisch ist bei den Römern der infinit. histor. Ganz unrichtig versuchte man sonst diese Construction zu erklären durch die Ellipse von coepit oder evenit. Es ist dies eine rohe Art des Vortrages bei den Römern, aber es fragt sich, wie dieselbe entstanden sei, da andere Sprachen sie nicht haben. Es ist wahrscheinlich, daß dieser Stil ein Rapportstil gewesen ist, der sich, zuerst bei der Armee bildete; in der Eile läßt sich so am leichtesten schreiben; später nahm er dann in der gewöhnlichen Sprache Platz bei historischer und auch komischer Darstellung, und zwar fand der Gebrauch statt bei rasch aufeinander folgenden Begebenheiten, da die Construction selbst den Charakter der Eile hat."

Usum tamen nimis arctis finibus includit, qui tantummodo relationibus duci factis originem debere dicit; nam non est solum stilus relatorum, sed potius, ut ita dicam, epitomatorum, stilus compendiarius.

Inviti utimur tali breviloquentia, ubi animi quaedam perturbatio nos impedit, quominus omnia ab omni parte absoluta percipiamus verbisque reddamus; quare qui metu, terrore, ira, amore, ceterisque animi turbis commovetur, eius oratio manca esse solet; ibi igitur praeter alias ellipses etiam infin. historicus locum habebit. Idem sentit Ramshorn. Lateinische Grammatik §. 168, 5. p. 636: „Zustände, die als Wirkungen innerer Unruhe, anhaltender Leidenschaft oder auch empörter Elemente versinnlicht werden sollen, werden von dem Erzählenden in der Sprache eines von denselben Ergriffenen durch den infinitivus praesentis mit einem Subjectsnominativ dargestellt." *) Guil. Otto latein. Gramm. §. 195: „Die Ursache des Gebrauchs des inf. hist. ist die, daß, wenn man lebhaft von einer Sache ergriffen ist, und dieselbe erzählen will, man die Form gar nicht berücksichtigt, was schon ein langsames Denken verräth, sondern zufrieden ist, den Gedanken durch das Wort ohne Form zu bezeichnen; wozu der Infinitiv sich am mehrsten eignet."

Quae tamen non infinitivi virtus est propria, sed ellipseos, quod recte perspexit Bonnel. l. c.: „In dieser Ausdrucksweise (sc. des infin. hist.) erkannten also Römer und Griechen und alle alten Grammatiker das Beginnen der Handlung und Streben zur Handlung prädizirt; in ihr liegt für den Betrachtenden nicht wie in den tempp. finitt. die Abgeschlossenheit der Handlung, sondern diese selbst entwickelt sich erst vor seiner Seele, seine eigene Phantasie wird in Anspruch genommen, das nur durch den Begriff des Verbi angedeutete Bild selbst auszumalen, und dadurch entsteht, wie bei jeder der Figuren, welche man Ellipse nennt, eine größere Lebendigkeit in der Darstellung auf ähnliche Art, wie

*) Cf. Mühlich Latein. Grammat. Tom II. p. 422.

der im Affect Fragende im acc. c. inf. die Hauptbestandtheile des Satzes als Object seines Denkens hinstellt, indem er durch diesen elliptischen und nicht vollständig entwickelten Ausdruck, wie man es auch nennen mag, die Spannung des Hörenden steigert.

Iam quum satis constet ex iis, quae modo disputavimus, infinitivi historici vim in ellipsi positam esse, erunt fortasse, qui ex me quaerant, quid Romanos impulerit, infinitivo potissimum ad referendas res actas uti, neque ad alium usum vocare ut Graeci infinitivum pro imperativo, Germani et Francogalli in emphaticis exclamationibus et interrogationibus pro coniunctivo habeant. Quod me nescire libere confiteri minime pudet; nam profecto grammatici non est explicare, quid sit, aut non sit, sed quale sit. Id certe constat, Romanorum naturae tale dicendi genus valde consentaneum esse. Namque ut (Hor. A. P. 323, 324):

— — Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, — — — —

Romani, πρακτικώτατοι homines melius agere, quam loqui scribunt; Graecorum igitur est, orationis flumini et ubertati proficere, Romanorum concinnae brevitati studere; neque negandum est, infinitivo historico miram concinnitatem dicendi inesse. Huc accedit, quod Romanis omnino tempus narrandi deest tale, quale apud Graecos est aoristus, quare inprimis rerum gestarum scriptores hunc infinitivi usum, apud vulgus sine dubio iam diu valentem, non inviti arripiebant, quo inopiae quodammodo mederentur. Non tamen inde concludas, aoristo et infinitivo historico eandem esse vim et significationem. Nam quum perfectum iam vice aoristi fungeretur, infinitivo non idem officium esse potuit, sed ut συνώνυμα verba similia non aequalia exprimunt, ita formae vicariae eodem munere non ad eundem modum funguntur. Nam sane infinitivus historicus aoristo ἀοριστικώτερος minime congruit cum perfecto historico, non magis etiam, ut multis grammaticis visum est, imperfecto par est. Decipiebat eos vel supplementum vocis coepisse, quo putabant infinitivum historicum actionem incipientem, necdum absolutam designare, qualis plerumque imperfecto redditur, vel quod plerumque in descriptionibus obvius fiat, in quibus omnino scriptores imperfecto uti solent. Recte itaque alii, ut Ramshorn, discrimen statuunt inter omnia haec tempora. Potest tamen quaeri, quum infinitivus historicus ἐλλειπτικῶς ponatur, ut supra docuimus, neque aliter possit expleri, nisi forma verbi finiti, quae finiti verbi forma eligenda sit. Iam si verum est, quod modo diximus, vicarias formas eodem munere non ad eundem modum fungi, licet omnino interdum dandum sit scriptoribus, inprimis poetis, similia cum similibus commutare, patet, nullam, quamcunque ponas, ab omni parte infinitivum explere; tamen alia aliam praestat; neque negandum est, in plurimis locis imperfectum e vulgari dicendi modo aptissimum esse; cave tamen cum Heindorfio (ad Hor. Sat. I, 5, 12: Ingerere für ingerebant, wie überall ohne Ausnahme dieser historische Infinitiv für das imperfectum gebraucht wird, nirgend für das perfectum), aliisque opineris, infinitivum historicum ubique positum esse pro imperfecto. Pauca tantummodo exempla sufficient ad hanc opinionem refellendam. Sall. Cat. 20, 7: „Nam postquam respublica in paucorum potentium ius atque dicionem concessit, semper illis reges, tetrarchae vectigales esse, populi, nationes stipendia pendere; ceteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles, vulgus fuimus sine gratia, sine auctoritate, his obnoxii, quibus si respublica valeret formidini essemus.“ Vix credo, Sallustium hic recte scribere potuisse: reges vectigales erant, populi pendebant, ceteri fuimus, sed certo scribere debebat: fuerunt — pependerunt — fuimus; nam sensus non est: tum quum respublica in paucorum ius concessisset, reges

vectigales fuisse, populos stipendia pependisse, nosque vulgus fuisse, nunc vero non ita esse, ubi recte imperfecto locus esset; sed potius: exinde vectigales fuisse etc. et esse ad nostra usque tempora; ea enim est vis perfecti, ut actionem absolutam, cuius effectus adhucdum maneat, denotet. *)

Nos etiam dicimus: Seitdem der Senat in die Gewalt Weniger gekommen ist, sind die Könige immer tributpflichtig, die Völker zinsbar und wir Pöbel gewesen, non: waren die Könige tributpflichtig, die Völker zinsbar und wir sind Pöbel gewesen. — Cat. 31, 6: „Tum M. Tullius Cicero, sive praesentiam eius timens, sive ira commotus orationem habuit luculentam atque utilem reipublicae, quam postea scriptam edidit. Sed ubi ille assedit, Catilina — postulare, Patres conscripti ne quid de se temere crederent;“ etc. Habuit et postulare sibi respondent, itaque postulare non aliam vim habere potest, quam postulavit. An dicamus, Sallustium narrare, Ciceronem orationem habuisse, describere vero, Catilinam postulavisse? Quod profecto absurdum esset. Virg. Aen. XI, 142:

„Arcades ad portas ruere, ac de more vetusto
Funereas rapuere faces;“

Infinitivum ruere pro ruerunt ἀοριστικῶς positum, demonstrat sequens rapuere. Cavendum enim est magnopere, ne in explicandis temporibus ab auctoribus adhibitis nimis subtiles et scrupulosi simus. Nam praeter actionis rationem numerum etiam orationis et varietatem in deligendis temporibus respicere solent, et ridiculi sunt saepe numero interpretes, qui ubi imperfectum vident pro perfecto positum, illico explicant: res ita erat comparata, ut per aliquod tempus duraret, vel ubi perfecta excipiuntur praesentibus statim vividiorem colorem praedicant. Auctores non ex regulis, quales grammatici praecipere solent, sed ex naturae impetu scribunt, neque solum mente, sed etiam sensu verba componunt; itaque multa non ex logicis, sed ex aestheticis, ut aiunt, potius regulis explicanda sunt, quod omnino difficillimum est in lingua dudum emortua, quum hebetiores simus ad ea percipienda. **) Itaque frustra quaeremus normam, quae ubique satisfaciat; quibus tamen rebus plerumque tempora historica: perfectum, imperfectum, praesens historicum et infinitivus historicus differant, paucis exponamus.

Narrationis tempora propria sunt perfectum (ἀόριστος) et imperfectum. Discernitur in his tempus narratae rei a tempore narrantis auctoris; significat igitur utrumque praeter actionem verbi tempus praeteritum tamquam accidens. Iam perfectum historicum designat momentum temporis praeteriti, imperfectum spatium temporis vel iterata momenta, quae quasi spatium efficiunt. Spatia temporis quamvis longa mens loquentis tamquam in unum momen-

*) Dr. Schultze: Bedeutung und Aufeinanderfolge der lateinischen Tempora. Progr. Brandenburg. 1838. p. 8: „Durch das Perfectum wird ein gegenwärtiger Zustand als das Resultat einer voraufgegangenen und gänzlich vollendeten Handlung, die Folgen dieser letztern also als bis in die Gegenwart des Redenden herab dauernd und ihm gleichzeitig dargestellt werden.“

**) Schadeloock: Von den Zeiten der Zeitwörter, p. 55.: „Eine gewisse Einförmigkeit, die bei denen Schriftstellern sehr auffällt, die meist immer in einem tempore erzählen, ist allerdings dadurch (durch die Abwechselung der tempora) gehoben; und die Mannigfaltigkeit des Ausdruckes bringt unleugbar eine größere Annehmlichkeit des Vortrages, und giebt Gelegenheit die gleichförmige Endung der verborum zu vermeiden. Also schon die bloße Annehmlichkeit und der Wohlklang hat wohl eine Ursache der Veränderung des temporis sein können.“ Cf. etiam p. 59. sq.

tum complecti potest, et vice versa singula momenta in spatia quamvis minima dilitari possunt, unde saepe recte ex mente loquentis alterum tempus positum inveniemus, ubi alterum exspectamus. Ubi praesens pro tempore historico adhibetur, ibi tempus narratae rei a tempore narrantis scriptoris non discernitur; denotat igitur praeteritum tempus tanquam praesens, et quum praesens tempus nil nisi momentum sit, praesens historicum pro perfecto positum dicemus. Praesentis temporis virtus igitur ea est, ut res remotas repraesentet (vergegenwärtigt) et tamquam singula momenta tradat. Quae praesentia sunt, sensibus, quae praeterita, cogitatione percipimus. Sensuum perceptio vividior est, et ab omni parte circumscripta; itaque recte dicunt, praesentibus vividius narrari. Deinde praesentibus momenta notantur, momenta vero facilius et certius animo amplectimur, quam spatia; itaque et ab hac parte lumini et vivacitati prospicitur. Longe aliter se res habet cum infinitivo historico. Ab omni tempore abstrahitur; neque praeteritum tempus, neque praesens, neque momenta, neque spatia designat; sola vis est in actione ipsa; ergo ubi scriptori in solam actionem lectoris mentem vertere in animo est, ibi adhibere solet infinitivum historicum, temporis notione in suspenso habita. Ut pictores res nobis ante oculos ponunt, tempus vero, quo res geruntur, exprimere non possunt, ita ut quoties picturam adspicimus, res fieri putemus, et iure tempus remotum, rebus motu sumto, in quo omne tempus sentitur, dicamus; ita fere scriptor infinitivo historico usus res depingit. Itaque scriptor solet perfecto historico narrare, quae facta sunt, et imperfecto describere, quae acciderunt, non dissimilis poetae epico, praesente historico repraesentare, dramaticum poetam imitans, infinitivo historico depingere, pictori aemulans, qui lineis et coloribus res in tabulam figit. Itaque solet infinitivus historicus usurpari in depingendis moribus aut hominum, ut Sall. Cat. 14, 16, 23, 25; Iug. 6, 64, aut aetatum, ut Sall. Cat. 2, 6, 10, 11, 12, 13. Inprimis locum habet in rebus gestis pingendis: pugnarum, caedium, oppugnationum, coniurationum, et si quae sunt similia picturas infinitivo historico nobis scriptores praebent, ut Sall. Cat. 60. Iug. 12, 57; Cat. 17. Per se intelligitur, haec omnia etiam finito verbo posse referri; sed mutatis verbi formis mutatur etiam orationis color et tenor. Quae perfectis et imperfectis proferuntur, simplicem relationem rerum praeteritarum continent; temporibus praesentiae sensibus acta tanquam ea, quae modo agantur, traduntur; infinitivo historico singula velut in unius imaginis orbem collecta et fixa adspectui praebentur, quippe infinitivi historici perspicua brevitate, concinna coniunctione eorum, quae tempore disiuncta apparebant, et splendido lumine, quo certa quaedam rerum culmina illustrantur emphaticum sermonem mire efficiunt. Prudentes scriptores his tribus referendi modis promiscue utuntur, prout res postulat. Solet narratio perfecto et imperfecto lenius incipere, dein sensim in maiorem impetum abripi et quietiore flumine concludi; itaque praesentia et infinitivi historici creberrimi sunt in media narratione, nec ullus scriptor unquam descriptionem sive narrationem praesentibus et infinitivis historicis incepit, raro etiam finivit.

Ubi singulis infinitivis historicis utuntur, ibi saepe factum est, ut varietate aures captent, aut numero orationis prospiciant, aut metro consulant, neque operam perdamus in eruenda causa grammatica sive logica. Nam dandum est scriptoribus, ut, sicuti similes voces similibus, ita similes formas similibus commutent: Casus casibus, ut Cic. Nat. deor. II., 59: „plectri similem linguam Romani solent dicere, chordarum dentis, naris cornibus iis, quae ad nervos resonant in cantibus.“ Liv. V, 19: „fatalis dux ad excidium illius urbis servandaeque patriae;“ Tempora temporibus: Virg. Aen. II, 12:

„Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit;
Incipiam — — "

ubi refugit perfectum aoristi modo pro praesente positum; similiter Virg. Aen. V, 144:

„Non tam praecipites biiugo certamine campum
Corripuere ruuntque effusi carcere cursus;"

Saepius etiam alternant perfecta et praesentia historica, e. g. Liv. I, 58: „cultrum in corde defigit prolapsaque in vulnus moribunda cecidit;" II, 46; sic in primum infestis hastis duo Fabii provolant totamque moverunt secum aciem." Virg. Aen. V, 242:

— „Illa noto citius volucrique sagitta.
Ad terram fugit, et portu se condidit alto."

et perfecta et imperfecta. Liv. III, 44: „M. Claudio clienti negotium dedit, ut virginem in servitutem assereret, etc. Virgini venienti in forum, minister decemviri libidinis manum iniecit, et se sequi iubebat." Tac. Ann. XII, 35, 1: „Obstupefecit ea alacritas ducem Romanum simul obiectus amnis, additum vallum, imminentia iuga, nihil nisi atrox et propugnatoribus frequens, terrebat; perfecta, imperfecta et praesentia, Ovid Fast. V. 201:

„Ver erat: errabam. Zephyrus conspexit; abibam.
Insequitur; fugio. Fortior ille fuit."

Quod in aliis temporibus factum est, cur in infinitivo historico non licuerit, non videmus. Omnino multi sunt loci, ubi infinitivo historico non nisi vicaria vis est; e. g. Sall. Cat. 21, 4: „Ad hoc maledictis increpat omnes bonos: suorum unumquemque nominans laudare; admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suae." Nam quod Gerlachius Vol. III, p. 318. ad hunc locum dicit: „Sed sua cuiusque temporis ratio constat: increpat rem tanquam praesentem enarrat; laudare rationem vituperationis, cui opposita erat suorum laudatio, luculentius describit; admonebat actionem saepius repetitam, sed ita ut magis ad singulos referatur, exponit;" substilius est, quam ut possimus auctoris menti supponere. Si in admonebat propterea imperfecto usus est, quod actionem saepius repetitam, sed ita ut magis ad singulos referatur, significat, eo magis laudationem uniuscuiusque suorum imperfecto debebat exprimere, neque quae tamquam opposita sibi respondent, ut luculentius describantur, diversis, sed iisdem temporibus solent notari. Ad Sall. Iug. 32, 3: „Fuere, qui auro corrupti elephantos Iugurthae traderent; alii perfugas vendere, pars ex pacatis praedas agebant; haec habet: „Tantum orationis variendae causa perf. cum infinitivo et imperfecto iunxisse eum putaveris. Sed incipit narrationem perfecto, tum celerior orationis cursus ad descriptionem declinat, (inf. hist.) sed ipse se revocat auctor ad remissius dicendi genus (imperf.)" Vellem, causam simul addidisset, cur tam subito auctor, narratione relicta ad celeriorem cursum orationis declinaverit et deinde se revocaverit ad remissius dicendi genus, quum in verbis ipsis nulla eorum causa sit, nam absurdum est contendere, perfugas vendere celeriore cursu orationis egere, quam elephantos tradere et praedam agere. Scriptores orationem mutant, aut ob internam,

aut ob externam causam: internam causam argumenti ratio ipsa docet; externam varietas et numerus orationis praebent. Recte enim Quint. IX, 4, 58: „Tamen et eligere quaedam, dum ex iis, quae idem significent, atque idem valeant, permiserim: et adiicere, dum non otiosa: et detrahere, dum non necessaria: sed et figuris mutare et casus et numeros, quorum varietas, frequenter gratia compositionis ascita, etiam suo nomine solet esse iucunda.